



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatvs De Superstitionibus, Contra Maleficia Sev Sortilegia Qvae Hodie vigent in orbe terrarum

Arles y Andosilla, Martin de

Romæ, 1559

Quod illi submersores imaginum scandalum committunt & stulte agunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29941

& ideo est irreligiositatis species & gra-
uissimum peccatum non tamen grauius
quam superstitio : vt idem sanctus Tho-
mas tenet in prædicta questione. ar. iiii. &
iiii. & dat rationem quia grauius peccat
superstitiosus & magis diuinę reueren-
tię aduersatur qui suo facto protestan-
tur errorem contra diuinam excellen-
tiam quam qui protestatur dubitationē
vt qui tentat Deum dubitauit de diui-
na excellentia : videlicet potentia : sa-
pientia : vel bonitate vt dictum est.

Quod illi submersores imaginum
scandalum committunt &
stulte agunt.

EX his enim supradictis apparet qua-
liter prædicti superstitiosi etiã scan-
dalū committunt : quia suis dictis
vel factis minus rectis. aliis præbent occa-
sionem ruine. Necessè est (inquit salua-
tor Marci. ix.) vt veniant scandala. Ne-

TRACTATUS

cessitas tamen hæc est consequentis non antecedentis, non enim est necessarium quod prædicti illos inordinatos actus faciant antecedenter sed necessario sequitur quod plures saltem idiotæ ex illo actu scandalizentur consequenter cum ad eorum exemplum alii similia agere intentent: in hoc etiam grauissime peccant (dicente Christo ibidem) Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius & demergatur in profundum maris. super quo Nicolaus de Lyra loquitur inquit saluator more palestinorum qui condemnatos ad mortem pro maiori crimine ligato saxo ad collum præcipitabant in mare: sensus est ergo, expedit &c. i. melius esset homini mori temporaliter quam ex malo exemplo suo facere alium ruere in peccatum mortale: quia ex hoc meretur mortem æternam quæ grauior est morte temporali. ex quibus infero quod melius esset

hos nephandos superstitiosos & nigromanticos huius regni per rigorosam inquisitionem punire quam quod per eos tot animę specialiter perirent & Deus tot plagas nobis infligeret. Stulte quoq; agunt per talia media superstitiosa diuinum querere auxilium. Nam quid stulti hoc actu submergendi imaginem in aqua & reliquias ad obtinendũ pluuiam. quid infanias quam alloqui imagini & protestari contra ipsam quę aures habet & nõ audit : & oculos & non videt : vnde deridet spiritus sanctus vel is qui per spiritũ sanctum loquitur. Sapie. viii. c. similes superstitiosos : cum dicit. Non erubescunt loqui cum illo qui est sine anima.

Quod sacrilegia & maleficia habent efficaciam ex quinque.

Sed quoniam falsa credulitate præditi & similes per tales actus illicitos firmiter credunt infra certum